

XC. Dux Henricus filius *Wilhelmi* obsedit *Honoveram*, sed divina protectione non prevaluit.

1. †
2. *Papa Alexander* eligitur. Eodem anno *Dux Henricus* tunc senior - - - contra *Brunsvic* ordinat & ipsam civitatem obsedit unâ cum *Henrico Duce Lunenburgensi* & aliis.
3. Concordia facta est inter eundem *Henricum* & civitatem *Brunsvicensem*.

4. †

5. †

6. †

7. †

8. †

9. †

C. *Jubileus annus* per *Alexandrum Papam* solemnizatur.

1. †

2. Obiit *Bartolus Episcopus Hildensemensis* apprime doctus in vigilia ascensionis Domini.

3. †


4. †

5. †

6. *Johannes Dux Saxonie* in *Episcopum Hildensemensem* eligitur.

7. †

8. Fuit discordia inter capitulum & vicarios *Ecclesiæ sancti Blasii*, sed nutu Dei concordata. In præsentia *Ducis Henrici* & suorum.



XII.

DVÆ DIVERSÆ CONTINUATIONES
CHRONICI ENGELHVSIANI,
Ex MStis.

CHRONICI ENGELHVSIANI
I. CONTINUATIO.

Domina *Schonette* relicta quondam nobilis *Henrici de Homborch* stirpis de *Nassau* uxor domini ducis *Otonis de Brunsvik* viro relicto castrum *Grene* cum aliis suis dotaliis tradidit *Episcopo Magno Hildensemensi*, unde guerra surrexit pauperum desolatrix. Conjunctio maxima quasi sex planetarum in *Scorpione XII.* die *Octobris*, & secuta est maxima pestilentia in *Italia* & communiter per *Almaniam* ventus validus multas naves subvertit. Arborea cum fructibus exsiccata sunt. Hyemps remissa. *Civitates Saxonie de Hense* compulerunt *Halberstad* tradere sibi quatuor de novo consulatu, quibus decollatis pax ibi reformata est. *Duderstad* ad *CCXL* domus conflagratae sunt in vigilia omnium Sanctorum; & post eodem anno circa festum palmarum iterum ignis ibi magnus, similiter *Grysmaria*. Eclipsis Solis & Lunæ in *Novembri*. *Misnensis Marchio* perdidit plusquam *IIIM.* armorum cum comitibus ultra *X* & aliis ac mille curribus cum clendiis, victualibus & armis. Hi velud pecora maetabantur, prohdolor, a *Bohemis*. *Duces* etiam cum suis obsidentes in *Bernborch* *Archiepiscopum Bremensem* repulsi sunt à *Friso-* nibus. Inde cum *Bremenibus* pacati, simul contra quosdam *Frisones* terram intrantes, aliquibus submersis, plurimos perdidit, ubi & *Archiepiscopus Bremensis*, scilicet *Dominus Nicolaus comes natus de Delmenhorst*, qui iuvit *Ockonem van deme Broke* captus est à *Fockone* vulgari- ter *Fockaken* capitaneo partis contrariæ. Idem *Fackake* captivavit dominum eundem *Ockonem* cum magno exercitu quorum interfecit inhumaniter *II CXX* armatos *Teutonicos*.

Civitates Saxonie de Hense unitæ sunt pro pace ultra *LX.* in cujus executionis signum, quosdam militares de *Swichelde* repellentes castra ceperunt *Widenla* &c. Sed compositione facta possident, ut antea; in quibus etiam victualia copiosa receperunt ultra *C* latera lardi filiginem in copia, &c.

Episcopus Mindensis aliàs de *Hoye*, & duo alii *Comites fratres ejus de Hoye* obierunt, & *Ericus Dux Brunsvicensis* obiit in vigilia *Ascensionis*, *Einbeck* sepultus. Eodem die *Henricus dux Sleswigen- sis* interfectus est in bello contra *Danos*.

Prior

Prior Cartusie domus Christi . . . dixit in capitulo generali Carthusiensium in provincia & regno Catholonia terre motu cecidisse xviii. opida, cum castris & villis; Inter quæ *Parfinona* civitas nobilis erat: una vero penitus dicitur subversa & in ejus loco stagnum esse sine fundo. Item Prior *Arnonensis* tantam esse Caristiam, quod mensura, *malder Erfordie*, quod Erfordie emitur iii. florenis, solvat jam 27. florenos. Item in *Marsilia* dicitur non pluuisse in quinque mensibus.

Rex Dacia, cujus titulus est: *Ericus*, regnorum *Dacia*, *Svecia*, *Sclavorum*, *Gotborumque* rex, & dux *Pomeranorum*, bello navali captivavit de *Hamborch* Lxx. de potioribus & plusquam pccc armatos; cepit etiam 36. naves magnas, quas antea terra sua non habuit, unde civitates stagnales potest graviter impugnare.

Conradus Speygel monachus corbeiensis factus armiger, cum quosdam innocentes duceret ad suspendium, citatus ab illis ad supremum judicem, die, ut dicitur, præfixo sagitta percussus interiit; & facta sunt fulgura cum tonitru per nemus *Solinky* usque Corbeiam.

In *diocesi Hildenshemensi* dabatur gravis contributio Episcopo, à quolibet puero, etiam unius horæ, etiam patris pauperis 30 den. & à qualibet vacca, à quolibet porco dabatur solidus vel amplius.

Dnus *Hinricus Cardinalis Anglicus* cum aliquibus Principibus *Frankfordie* statuerunt contributionem fieri per *Alemaniam*, præcipuè ut quilibet Judæus suum florenum, qualibet persona Christiana beneficiata de 20. florenis unum, quilibet laycus de mille unum, & aliter quilibet quindecim annorum, quantumcunque pauper, unum grossum in subsidium, contra *Bohemos*. [daret] Pecunia collecta est ubique, & à multis civitatibus in *Nurenberch* directa pro stipendiariis sustentandis; anno enim prætereunte fuerat exercitus validus nostratum inutiliter in *Bohemia* circa opidum . . . à *Bohemis* nostratibus expulsis aut interfectis. Isto etiam anno scilicet 1427. erant nobiscum adhuc ultra x. civitates, & quasi tot comites, & Bannus regni *Bohemie*, quorum & quarum, heu, multi jam obierunt. Dominus enim de *Swanenberch* incepit etiam hæreticari. Receptit enim credo 36. currus oneratos bonis, cum equis & aliis. Dux *Saxonia* dicit; se propter nos sua consumpsisse, nec amplius posse resistere *Bohemis*; Ideo cogeret recipere, unde posset, nec restitit sibi quisquam. *Walpurgis* virgo in opido *Schedamme* in *Hollandria* habet quinque foramina in pectore, de quibus exit odor suavissimus. Hæc infra 33. annos nec comedit, nec bibit. Jam infra pectoralia penitus est mortua, ita quod ejus viscera coram ea penderent in pertica. Dixit se adhuc per triennium victuram, & sic deberet mori anno Domini 1430. Hæc multa plurima propheterando prædicit, quam tamen vivam vidit *Reymbertus* prior *Wittenborgensis* anno præscripto 1430.

Anno Domini 1428. die sanctorum *Kyliani* & *Sociorum Einbecenses*, cum toto posse visitant *Hanslein*, villam comburentes, & paucas capras cum vitulis abducentes, quia præmoniti fuerunt. Dominica sequente illi de *Hansleyn* ergo visitaverunt villam *Lutherdeffen*, & equos abducentes, cum vellent redire, villici viam, per quam intrabant, impediunt, quatuor eorum occisis, *Einbecensibus* cum equestribus concurrentibus, etiam equos obtinent, & nisi *Hansleineses* in *Uslaria* protecti, omnes fuissent capti & in *Einbek* reducti. Bellum illud adhuc duravit anno 1431. & sequenti (*) compositum.

II. CONTINVATIO ENGELHUSIANI CHRONICI.

Conjunctio maxima planetarum sex similiter in scorpione 12. die Octobris. Secuta est pestilentia per *Italiam* & *Germaniam*. Domina dicta *Sconette de Nassaw* relicta quondam nobilis *Henrici de Homborch*, uxor Ducis *Otonis de Brunsvic* aliàs *de Hartzberge*, viro relicto, castrum *Grene* tradidit Episcopo *Hildenshemensi* Magno prædicto, unde secuta est gwerra desolatrix terræ illius undequaque.

1425. *Duderstat* incendium erat magnum quasi centum hominibus combustis feria secunda post palmas, item in vigilia omnium sanctorum; & similiter Oppidum *Geysmar*. *Marchio Mysnensis* perdidit in *Bohemia* ultra 4000. armatorum cum millibus currum oneratorum clenodiis & armatura fortium. Maetabantur, prohi dolor, à *Bohemis*, ut pecora. Civitates *Hense* ceperunt castra *Wydenla*, *Lutter* & *Scapelborch*. Sed parum post restituerunt illis de *Schwichelte*, quos inde fugaverant. Episcopus *Bremensis* captus est à *Erisonibus*, ubi periit cum aliis Comes *de Hoya*. Dux *Henricus Slesvicensis* obiit in bello *Danorum*. Et *Ericus Dux Brunsvicensis* obiit in *Embec* sepultus in vigilia Ascensionis.

1427. Exercitus magnus sed penitus inutilis contra *Bohemos*. Papa *Martinus V.* dediteuntibus remissionem *Jubilei*. Interfuit exercitui *Henricus Cardinalis* vulgariter dictus *Anglia*, Ecclesie s. *Eusebii*. *Francovordia* ejusdem Cardinalis convocatione statuitur pecunia colligenda contra *Bo-*

L 3

hemos.

(*) Margini adscriptum hic erat: *Tempus quo vixit Theodericus.*

hemos. In *Cathalonia* ceciderunt terræ motu 18. murata oppida præter villas & castra. In *Mersilia* non pluit 5. mensibus. Hæc dixerunt priores *Carthusiæ* de *Capitulo* reversi. *Ericus Danorum, Sveciæ, Norwegiæ, Slavorum, Gothorumque* regnorum rex & *Dux Pomeranensium* litigans contra civitates stagnales, captivavit cives de *Hamborch* 800. armatos ante *Kopenhagen* bello navali cum 36. navibus optimis & onustis armaturis.

1428. *Bohemi* multa mala fecerunt *Christianiæ* provincix in *Slesia, Ungaria* & in *Marchia Saxonia antiqua*. Pluvia duravit a natali Domini usque sex dies ante festum S. Viti. Pestilentia viguit. Hoc anno adhuc vixit *Walburgis* virgo filia *Lutvini* in oppido *Scheamme* in *Hollandria*. Virgo hæc habet quinque foramina in pectore, de quibus odor exit suavissimus. Infra 30. annos ut dicitur, nec comedit, nec bibit, nisi sacramento cibata. Infra pectus omnia sunt mortua. Intestina quædam ejus pendent coram ea in partica, mortua & arida. Vidit nobilem virum & priorem ordinis *Canonicorum regularium*, qui hæc retulit & eam oculis vidit & manibus contræctavit. Paupercula quædam pedibus provoluta eam *Papæ Martino*, cum petens benedictionem non benediceretur, sacculam cum elemosynis, quem gerebat, projecit super *Cardinalem* sibi proximiorum dicens: *Quia tulisti mihi omnia, habeto & elemosynam istam, Tu paga pro me, quia plus non habeo*. Lites enim habuit, nec fuit justitiam consecuta, nec præ inopia potuit habere defensorem. Anno Domini 1428. obiit *Fredericus Marchio Myssensis factus Marchio Brandenburgensis*.

1429. *Otto Dux Brunsvicensis* filius *Bernhardi* cepit pecora ante castrum *Kalenberch*, ducens in *Pattenhusen*, ob quod *Wilhelmus* ejus fratruelis obsedit *Pattenhusen*, & inde factæ sunt graves inimicitix nondum sopitæ. *Wilhelmus* enim juvenamine *Hildenshemensis Episcopi* litigat contra proprium fratrem *Henricum* in civitate *Brunsvic*. *Brunsvic* tunc cæperunt fossam grandissimam in circuitu civitatis. Eodem anno *Dux Otto* filius *Frederici Domini Eymbicensis* duxit exercitum grandem contra raptores & castrum de *Hanstene*, ultra 13. villas cum ecclesiis per raptores incastellatas destruendo, quos tandem *Lantgravius Hassia* pacificavit. Eodem anno pirata dicti de *Likendetre* cepèrunt civitatem famosam Regis *Norwegiæ* dictam *Berge*. Eodem etiam anno *Bohemi* cum exercitu ultra 100000. terram *Mysnam* intrantes, & ibi ultra tres menses perdurantes multa mala commiserunt. Etiam civitatem *Gobin* destruxerunt cum multis civitatibus in *Slesia*, nulli parcentes, contra quos *Archiepiscopus Magdeburgensis, Wilhelmus, dux Brunsvicensis, Marchio Brandenburgensis* cum multis Comitibus & civitatum stipendiariis *Mysnensibus* in auxilium venientes non audebant configere cum *Bohemis*. Ipsi autem castrum *Plawe* cum oppido destruxerunt. Quorum metu *Erfordenses* perterriti conduxerunt armigeros, quibus & *Episcopus Hildenshemensis* auxiliarios adduxit. Quibus perceptis *Bohemi* direxerunt aciem ad *Franconiam*, de *Babenberg* & *Nurenberg* multa milia florenorum recipientes: Sicque *Bohemi* reversi sunt ad propria.

1430. *Wilhelmus Dux Brunsvicensis* visitavit sepulchrum Domini, & *Lantgravius Hassia* parum ante. Eodem anno Universitas populi in *Northusen* murmuravit contra Consules, imputans eis, pecuniam collectam contra *Bohemos* occultasse, propter quod unus eorum suspensus est patibulo. Subnotarius presbyter præsentatus provisorii factus est se tantum 13. sexagenos grossorum pro parte sua recepisse. *Hermannus* autem *Protonotarius* dicitur seipsum veneno necasse, ut opprobrium populi vitaret.

1431. *Martinus Papa* prædictus obiit 10. Kal. Martii. Secutus est *Venetus* natione appellatus *Eugenius IVtus*, qui misit *Cardinalem Julianum* pro reductione *Bohemorum* ab hæresi. Is incepit *Concilium Basileense*. Eodem anno *Dux Otto* filius *Otonis* cum *Episcopo Hildenshemensi Magno* prædicto, obsedit castrum *Grene*, compellens *Albertum Bok* militem præstare sibi & hæredibus omagium &c.

1433. Hiems frigida & gravissima aquis undique congelatis etiam *Rheno* & *mari*. Incepit statim post *Martini*, duravitque in mensem *Aprilem* per totum.

Anno Domini 1422. die 20. mensis *Julii* *Henricus Rust* lanifex & oppidanus in *Sobernheim* dyocesis *Maguntinæ* prima missa completa, quam juvit cantare, dum solas esset in ecclesia, audivit & scriptum vidit: *Sille veir*; dumque miraretur nec intelligeret, quid significaret, audivit, *vade, vide crucem juxta molendinum*. Ivit & invenit eam, manibus, pedibus & naso destructam, luto conculcatam, dumque devotius oraret, *Domine, Domine, dic, quid agam, quia te video iterum crucifixum*: Dictum est sibi: *fac sertum de spinis super caput tuum nudum & porta crucem per oppidum*, fecit & dictum est ab omnibus: *stultizat*. Dumque crucem reportaret in locum suum, locum cordis in cruce osculando, audivit: *Judei, mali clerici, meretrices & pagani sunt quatuor mali*. Dum igitur equitare vellent ad montem propinquum *S. Disibodi*, dictum est ei in aere, ut gladium equitaret per oppidum & locum *Judeorum* & clamatores, *hoit dich, hoit dich, myn pferd fleit dich*. Fecit sic & parum post *Judei* captivati sunt in multis locis pluribus interfectis. *Sille veir* i. e. compeſce quatuor. Hæc mihi relata fuerunt anno secundo sequenti, dum fueram ibidem &c.

[Post Indicem in *Engelhusium* in eodem Codice *MSto* inveniuntur sequentia]

De

De ordinibus Ecclesie.

Ordines Ecclesie, quibus temporibus sint exorti.
Ordo Apostolorum cepit circa annum Domini 40.

Anthonii cepit 250.

Regula vel Ordo Basilii 380.

Canonicorum Regularium s. Augustini 430.

Nigrorum Monachorum a S. Benedicto 520.

Dominarum Secularium vi cepit sub Lodewico primo 816.

Cluniacensis cepit 900.

Grandimontensis 1070.

Carthusiensis 1084.

Cisterciensis 1098.

Præmonstratensis 1120.

Templariorum 1125.

Johannitarum. 1140.

Wilhelmitarum. 1140.

Teutunicorum. 1200.

Prædicatorum. 1200.

Minorum. 1210.

S. Claræ. 1217.

Carmelitarum 1220.

Heremitarum Augustini 1223.

Servorum S. Mariæ 1230.

Beatorum Martyrum. 1250.

Spectantium. 1300.

Paulinorum. 1310.

Templariorum destruitur. 1310.

De militia Christi, quem fecit Johannes 22. anno 1320.

Salvatoris cepit 1365. ab Urbano quinto confirmatus ad instantiam S. Brigittæ; cujus nunc dicitur ordo.

Item alibi sic legitur:

An te hominis lapsum Deus in paradiso instituit monasterium.

Ante incarnationem Domini institutus est ordo Hospitalentium a Juda Machabeo & ordo Carmelitarum ab Helia in monte Carmeli.

Post incarnationem Domini Anno 250. cepit ordo Fratrum Heremitarum a beatis Paulo & Anthonio, quorum successoribus in Centumcellis regulam dedit B. Augustinus.

Anno Domini 370. per Damasum, Hieronymum & Ambrosium cepit divinum officium vigere in Ecclesia.

Anno 430. cepit ordo regularium Canonicorum ab Augustino.

Anno 527. cepit ordo nigrorum Monachorum a Benedicto in monte Cassino in Campania.

Anno 532. Cæperunt Letaniæ a B. Gregorio Romæ & officium &c.

Anno 1032. Cæpit ordo Cisterciensium a B. Roberto Abbate in Burgundia.

Anno 1126. cepit ordo Præmonstratensium a Nortberto Episcopo Magdeburgensi.

Anno 1128. cepit ordo Templariorum a Papa Honorio II. confirmatus.

Anno 1200. Cæpit ordo Teutunicorum ab Imperatore Henrico V. ab Innocentio III. confirmatus.

Anno 1206. cepit ordo Prædicatorum & Minorum. Tunc fuit & Concilium Lateranense sub Innocentio III.

Anno 1216. cepit ordo S. Claræ. Tunc mater S. Elifabeth occiditur.

Anno 1224. Regula Minorum sumpsit initium sub Honorio Papa.

Anno 1228. S. Franciscus canonizatur a Gregorio IX.

Anno 1230. S. Elifabeth obiit.

Anno 1317. fuit carissima magna & pestilentia &c.

